



In initiō statim præfandum mihi videtur, præsertim ijs,  
 quos heic ἀναμνησκω & doceo, quique aliàs mea legere  
 solent, præsens hocce schediasma cum CCXLImō colli-  
 gandum esse, in quo ad Terentianam Eunuchum quæ-  
 dam subnotaveram, inq; v. 36. *Act. V. sc. 2.* desieram, incertitudinem  
 τῶν δοξῶν τῶν πολυθέων dubiosam confirmans.

XLI.

Obviam verò nobis fit - - - passuque incedit inertī  
 (*Ovid. Metam. II. v. 773.*) Sophrona (utinam omnes! nec ita mero-  
 Zythobibæ) nutrix *Act. V. sc. 3.* quam bonus ille Chremes *ocius se mo-  
 vere* h. e. festinare jubet (*Weitzius* heic Germanorum quorundam  
 nostrorum pravum addit & ridiculum idiotismum, *gehe doch fort / du  
 alte Rachel*) / quæ tamen *movens nihil promovebat* sed, quod est apud  
*Prudentium (Psychomach. v. 635.)* rapidum gressum temperabat, *gra-  
 du testudineq;* quod nonnulli in Plauti Amphitruone legere malunt,  
*spissigrada incedebat atq; tardior - quàm corbitæ sunt in tranquillo mari*  
 (*Pœnul. III, 1, 4.* ubi præmittitur hæc sententia, *Tardo amico nihil est  
 quicquam iniquius:*) Acclamandum ergo fuisset ex *Menachmis (V,  
 3, 12:*) - *move formicinum gradum:* Formicarum nempe gra-  
 dus minutissimus est ac spississimus, atq; ideò *tardus*; & apud *Catul-  
 lum (carm. Adeste benedecasyllabi, &c.)* ubi alij cum Scaligero legunt  
*rhythmicè*, seu *mimicè*, nach der Tabulatur / alij legunt *myrmicè*,  
*μύρμηξ* autem est *formica*. Iterum apud Plautum est in *Pœnulo (I.  
 cit. v. 29.)* *vicistis cocbleam tarditudine*, ibiq; iterum præmittit mo-  
 ralem de modestiâ sententiam.

Liberos homines per urbem modico magis par est gradu  
 Ire; servile esse duco festinantem currere,  
 præsertim in re populi placidâ atque interfectis hostibus  
 non decet tumultuari - - -

Quò pertinet, quod in hâc ipsâ Terentianâ scenâ de Parmenone di-  
 citur, *Vide, ut otiosus it*, ubi Guyetus addit, *securitatem gestu & in-  
 cessu præfert*. Tardi autem nihil promoventium gressus sunt gra-  
 dus illi *succreti cribrò pollinariò*, da die faulen schancken nicht fort wol-  
 len!